

nec aurem, nec mentem possunt intendere; credituri tamen volunt; numquid cognituri? Dicit enim eis charitas qua boni sunt, non mentiri me de me confitentem, et ipsa in eis credit mihi.

CAPUT IV. QUOD CONFESSIOE SUA BENE ETIAM ALIIS CONSULUERIT.

Sed quo fructu id volunt? An congratulari mihi cupiunt, cum audierint, quantum ad te accedam munere tuo, et orare pro me, cum audierint, quantum retarder pondere meo? Indicabo me talibus. Non enim parvus est fructus, Domine Deus meus, ut a multis tibi gratiae agantur de nobis, et a multis rogeris pro nobis. Amet in me fraternus animus quod amandum doces, et doleat in me, quod dolendum doces. Animus ille hoc faciat fraternus, non extraneus, non filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis, sed fraternus ille, qui cum approbat me, gaudet de me; cum autem improbat me, contristatur pro me; quia sive adprobet me, sive improbet, diligit me. Indicabo me talibus: respirent in bonis meis, suspirent in malis meis. Bona mea instituta tua sunt, et dona tua; mala mea delicta mea sunt, et judicia tua. Respirent in illis, et suspirent in his; et hymnus et fletus ascendant in conspectum tuum de fraternis cordibus, thuribus tuis. Tu autem, Domine, delectatus odore sancti templi tui, miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, propter nomen tuum, et nequaquam deserens coepta tua, consumma imperfecta mea. Hic est fructus confessionum mearum, non qualis fuerim, sed qualis sim, ut hoc confitear, non tantum coram te secreta exultatione cum tremore, et secreto moerore cum spe, sed etiam in auribus credentium filiorum hominum, sociorum gaudii mei, et consortium mortalitatis meae, civium meorum et mecum peregrinorum, praecedentium et consequentium, et comitum viae meae. Hi sunt